

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

He . 21.

PALÆSTRA DECIMA
THEOREMA-
TUM POLITICORUM,

Exhibens

Partem secundam de Virtute
in genere,

Quam,

Dei indultu,

Ac Consensu Amplissimi Ordinis Philosophici,

IN FLORENTISSIMA REGIOMONTANA,

Publicè defendent,

PRÆSES

JOHANNES GEORGIUS à Bogen/

Nobil. Prusus & Philosoph. D.

Et

RESPONDENS

HEINRICUS Mey/

Ragnitâ Borusl.

Add. Augusti, locò horisq; consuetis

Anno 1673.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines across the page.



155

Bono Cum DEO!

§. 8.

Ut virtus moralis non sit à natura nobis propriè, tamen neq; nobis est præter naturam: quandoquidem ea præter naturam esse dicuntur, ad quæ non habemus potentiam naturalem, seu principium movendi, quemadmodum in lapide non inest potentia naturalis ad videndum, nempe oculus, hinc videre præter naturam lapidis est: in homine non inest potentia naturalis ad volandum, qualis est alatum esse, unde volare præter hominis naturam est. Jam verò in homine inest potentia naturalis, quâ disponitur ad virtutem: quippe potentia illa nihil aliud est, nisi potentia appetitûs sensitivi ad sequendum rationem rectam, ab hâc enim disponimur ac perducimur ad virtutem moralem, cum appetitus sensitivus adsvectit sequi rationem: nam virtus moralis nihil aliud est quàm adsvectio appetitûs sensitivi ad præscriptum rationis, quod est mediocritas. Unde Plutarchus docet libr: de virtute moral. cap. 10. quòd virtutes m: *sint motûs facultatis brutæ* id appetitûs sensitivi) *probè condoceracti*. At verò evidens est, potentiã sequendi rationem in appetitu sensitivò homini inesse: nam appetitus sensitivus humanus sequi potest rationē, iusta præscribentē, ut in Aristide secutus est & alios; aliàs enim neq; adsvetudine virtus in homine acquiri posset, quod tamen fieri ostendimus: siquidem nil quicquam in aliquo adsvetudine comparari potest, quin ejus potentia à naturâ eidem inesset: sic adsvetudine virtus moralis in brutò aliquo acquiri nequit,

C 2

156
quit, cum virtutis potentia, nempe appetitus aptus ad sequen-
dum rationem, eidem desit. Quibus gemina sunt, quæ habet
Eustrat: comment. in lib. 2. Ethic. c. 1. §. 6. Neq; quæ præter na-
turam sunt, adsvetudine possunt comparari, lapis enim sur-
sum ferri nunquam adsvetecet. Cum igitur id præter naturam
alicujus sit, cujus à naturâ nulla alicui inest potentia, quâ ad
illud disponatur, seu aptus reddatur; & verò in homine inest
virtutis potentia à naturâ, nempe potentia sequendi rationem
in appetitu sensitivò; nullum est dubium, virtutem moralem
non esse præter naturam hominis. Rectè igitur Aristoteles:
*neq; igitur naturâ, neq; præter naturam virtutes hæc in nobis ac-
quiruntur. Sed cum idonei ad ipsas suscipiendas naturâ simus, ad-
svetudine perficimur.* lib. 2. Ethic. c. 1. Eò respicit Clemens Ale-
xandr., qui libro 6. Stromatum p. m. 136. ita differit: *naturâ
quidem apti sumus ad virtutem, sed non quòd eam habeamus ab
ortu, sed simus apti ad eam acquirendam.* Quibus consentit
quoq; Eustratius prædict: locò, dicens: *Virtutes morales ad-
svetudine comparantur, præter naturam igitur non sunt.*

§. 9. Dices, quorum potentia à natura inest, illa à
naturâ esse dicuntur: sic sanitatis & morbi potentia inest
animali à naturâ, hinc sanitas & morbus animalis à naturâ
inesse dicuntur ab Eustrat: comment. in lib. 2. Eth. c. 1. §. 4.
Unde & virtutes morales à naturâ nobis inerunt, cum illa-
rum potentia nobis à naturâ conveniat. Quod nec dissimu-
lare videtur Aristoteles, qui l. 3. Polit. docet, *tribus ex rebus
nos evadere bonos, naturâ, consuetudine & doctrinâ.* Et lib. 1.
Politic. c. 2. dicit: *hominem esse animal naturâ civile.* A quibus
nec seorsum sentit Seneca, quando inter alia dicit: *super va-
caneum est, quò naturâ imus, impelli. Quemadmodum nemo in*

amo.

amorem sui cohortandus est, quem, cum nascitur, erabit: ita ne
 ad hoc quidem, ut honesta per se petant. Placet suapte naturâ,
 adeoq; gratiosa est virtus, ut insitum sit etiam malis, probare
 meliora. lib. 4. de beneficiis cap. 17. p. m. 44. Quicquid hujus
 sit, certum tamen est, virtutem moralem non esse propriè
 à naturâ, quicquid enim propriè à naturâ est, id à naturâ
 evenit nullo nostrò studio: verbi gratiâ, sic igni à naturâ
 evenit sursum ferri, & lapidi deorsum, vel sicut loquitur Ale-
 xander Aphrodisiensis librò de fatò & libertate §. 19. p. m. 94.
 ponderosis de super missis, naturale est ferri deorsum, & globosis
 cum de declivi mittantur, à se moveri; nullum verò extra na-
 turam adhibetur studium: Item dentium & barbæ produ-
 ctio evenit nobis à naturâ, neq; ad hanc ullum à nobis neces-
 se est adhiberi studium. Nihil verò horum dici potest de vir-
 tute: quippe virtus non evenit à naturâ nostrâ citra ullum
 nostrum studium, utut ejus potentia nobis à naturâ insit.
 Motus quidem ad virtutem, nullo nostrò studiò, à naturâ
 nobis obtingit. Sed motus ad virtutem non est ipsa virtus,
 sed aptitudo ad virtutem. Quibus congruit cum verbis Cle-
 mentis Alexandri, qui similiter citatò locò nempe l. 6. Strom.
 p. m. 136. differit: aptitudo est quidem motus ad virtutem, non
 autem virtus. Atq; omnes quidem, ut dixi, apti sunt naturâ ad
 acquirendam virtutem; Sed alius quidem magis, alius verò mi-
 nus accedit ad disciplinam & exercitationem. Nihil tamen pro-
 hibet, quò minus in sensu improprio possit dici virtus mo-
 ralis esse à naturâ, cum non solum ea, quæ à solâ naturâ eve-
 niunt, sed & quæ à naturâ, quoad motum, & ab humanâ si-
 mul industriâ proveniunt, dicantur esse à naturâ. Id vult
 Eustratius, qui comment. in lib. 2. Ethic. c. 1. docet, quatuor

modis aliquid, à naturâ esse, dici: uno naturâ ea fieri dicuntur, que ab ortu congenita alicui, atq; insita naturâ sunt: ut lapidi deorsum, igni sursum ferri: altero modò, que congenita quidem non sunt, post quoddam tempus ut plurimum evenire consueverunt, nullo à nobis studio, neq; ex adsvetudine, neq; ex doctrinâ, adhibito; ejusmodi dentium & barba productio est: 3tiò modò id naturâ dicitur, cujus capaces naturâ sumus, atq; ita contraria eidem naturâ dicuntur: ut morbus & sanitas eidem ad suscipienda ea idoneo corpori &c. Eius verò dicuntur capaces, ad quod naturalem habemus motum, adeoq; ea quoq; dicuntur à naturâ inesse, quæ quoad motum tantùm à naturâ insunt. Hòc sensu quoq; à prædictis Auctoribus sumitur 6^o à naturâ inesse. Arist: quidem, cum dicit: *homines tribus ex rebus evadere bonos à naturâ, consuetudine &c.* nam quæ simul à consuetudine esse dicuntur, illa à naturâ tantùm sunt secundum motum seu aptitudinem, prout etiam virtutem sic esse à naturâ, docet Philosophus lib. 2. Ethic. c. 1. Neq; alia Aristotelis mens est, quando docet lib. 1. Pol. c. 2. *Hominem esse à naturâ animal Politicum, seu civile:* nam civile nihil aliud est, quàm naturâ aptum esse ad vivendum in civitate. Idem existimat Seneca, quando prædictis utitur verbis, quia docet, ut jam suprâ ostendimus videlicet *Palæstrâ Non à §. 7. adsvetudinem multùm conferre ad virtutem.*

§. 10. Quemadmodum 6^o naturâ esse multifariâ sumitur: ita & 6^o præter naturam esse non est unius generis. Uno modò præter naturam esse dicitur, cujus ne quidem potentia naturalis est in aliquo, quomodo præter naturam lapidis est, leve esse, & deorsum ferri, id nullâ ratione dicitur esse à naturâ. Altero modò dicuntur præter naturam esse, quæ

quæ impediunt finem à naturâ intentum, quæ tamen aliquâ ratione à naturâ sunt: sic cœcitas est præter naturam oculi, quia ejus finem impedit, nempe videre. Item morbus, quo impeditur animalis jucundè vivere, eo fine Eustratius comment. in l. 2. Ethic. c. 1. §. 4. dicit: *natura magis corpus ad sanitatem constituit, quàm ad morbum suscipiendum.* Neq; hœc sensu virtus moralis præter naturam esse potest, quippe, quod jam evidens est, finis hominis, nempe beatitudo civilis, per eam acquiritur. Interim vitia, quæ virtuti morali opponuntur, sunt eo sensu præter naturam, quia impediunt in homine beatitudinem civilem, quæ tamen, ut suprâ diximus, suo modò à naturâ esse dicuntur. Unde rectè existimat Seneca: *Nulli nos vitio natura conciliat, nos illa integros ac liberos genuit.* Epist. 94. p. m. 780. Et rursus: *Omnia vitia contra naturam pugnant: rationem reddit: omnia debitum ordinem deserunt.* Epist. 121. p. m. 881. Qui ordo deseritur per id, quod impedit finem à naturâ intentum. Ut paucis rem complectamur, potentia virtutis moralis est à naturâ, non verò virtus ipsa, quam habitum esse posthac patefcet.

§. II. Quum igitur virtus, quæ virtus, non sit à naturâ sed à consuetudine: noscendum, quòd eadem non generetur ex consuetudine operationum simpliciter talium: nam virtus moralis est habitus bonus; at ex consuetudine operationum simpliciter, seu, quod idem est, ex iisdem operationibus simpliciter & generaliter sumtis, tam bonus habitus, quàm malus habitus, generatur: v. gr. Ex eo, quòd Citharam pulfant, citharœdi & bonum & malum habitum canendi acquirunt; sic ædificatiões ex eo, quòd crebrò architectantur, & bonum & malum habitum ædificandi acquirunt. Quibus quoq;

quoque consentit Aristoteles, dum lib. 2. Ethic. c. 1. ita differit: *Ex iisdem & per eadem fit omnis virtus ac corrumpitur. Similiter verò etiam ars. Nam ex eo, quòd citharam pulsant, & boni & mali fiunt citharadi pari ratione &c.* Illud ex iisdem explicat Eustratius comment. in h. l. de operationibus simpliciter & generaliter sumtis, sic enim verba ejus habent: *Cum verò inquit (nempe Aristot.) per easdem operationes virtutem omnem & acquiri & corrumpi, easdem genere accipiendum est: quippe cum & bona & prava operationes circa voluptatem eadem genere sint, spe autem diverse.* Idem censet Donatus Acciajolo comment. in l. 2. Ethic. c. 1. dicendo: *Dicit ergo Philosophus, virtus sicuti etiam ars generatur ac corrumpitur ex iisdem, scilicet operationibus in genere.* Ex quali igitur consuetudine virtus generatur? scilicet ex consuetudine operationum bonarum, quæ videlicet qualitate bonitatis præditæ sunt: Acciajolo d. l. dicitur consuetudo bona, nam ut docet Philosophus, *habitus ex similibus actibus fiunt.* l. 2. Ethic. c. 1. Si operationes sunt bonæ, ex iis etiam crebrò repetitis boni comparantur habitus; sin verò malæ, mali quoque habitus. Quò respicit Eustratius Præd. locò: dicens, *ex bonis operationibus circa voluptatem temperantia, ex pravis intemperantia existit, simili modò in aliis virtutibus.* Similia sunt, quæ dicit Accajolo d. l. *habitus acquiruntur similes operationibus suis.* Ex quibus colligas licet, quantum intersit, sic nec secus, à pueritiâ advescere. Unde meritò Philosophus: *non parum igitur, sic ne, an secus, à juvenibus advescere, sed per multum, imò verò prorsus refert.* lib. 2. Ethic. c. 1. circa finem, Quò pertinet illud Lycurgi, ore omnium contritum, de duobus calculis.

§. 12. Quantum momenti situm est in eo, ut quibus ad
 svescamus actionibus, tantundem quoque in eo, ut, quæ illæ
 actiones sint, quibus habitus virtutis generentur, pensicule-
 mur: nam ut rectè docet Philosophus: *presens tractatio non
 est speculationis causa, non est, ut cognoscamus, quid sit virtus, sed
 ut boni efficiamur, aliàs nulla ejus esset utilitas* lib. 2. Ethic. c. 2.
 §. 1. Actiones verò bonæ, quibus habitus virtutis generantur,
 sunt actiones secundum rectam rationem, quod, tanquam
 commune omnibus, actionibus supponendum: quod idem
 docet Philosophus dicendo, *agere secundum rectam rationem
 commune est*, nempe ut Eustratius in h. locum & Acciajulus
 ibidem explicant, *actionibus scilicet & operationibus, quibus
 adsuescendum est, quod in presentia supponatur* l. 2. Ethic. c. 2. §. 3.
 Erit enim de eo, quid ratio sit, & quid ad virtutes conferat,
 alius dicendi locus. Quid verò actiones secundum rectam ra-
 tionem sint, *ὡς ἐν τῷ α* & crassius indigitabimus: versamur
 enim hic in actionibus, in quibus nulla firmitas. De quibus
 Aristoteles d. l. ita: *quæ in actionibus versantur, atque utilia sunt,
 nullam habent stabilitatem, quemadmodum neque res salubres.*
 Sicut quæ sanitatem efficiunt, non semper idem præstant,
 propter varia tempora, ætates, & complexiones varias, quo-
 modo vinum non conducit puero, quia ætas hæc solet nimio
 fervere calore, sed conducit ei, qui senio confectus est, qui-
 pe illa ætas caloris diminutionem patitur: neque ob eandem
 rationem conducit febricitanti: ita & actiones sunt instabi-
 les, ut bellum gerere modò utile est, modò non: nam, ut rectè
 monet Eustratius comment. in l. 2. Ethic. c. 2. §. 8. *Immutantur
 hæc temporibus, personis, actionibus, locis, necessitatibus, atque id
 genus aliis.* Quò respicit Philosophus, dum ibidem dicit: *debent*
 D illi,

illi, qui agunt, subinde τὸν καιρὸν opportunitatem observare. Jam
 verò demonstrationes materiae subjectae convenientes sunt postu-
 landa lib. 2. Ethic. c. 2. l. 1. Rhet. c. 7. Actiones secundum rectam
 rationem, sunt actiones secundum naturam suam rectè con-
 stitutam: quippe ratio recta semper naturam bene constitutam,
 ut fundamentò suo, nititur, hinc Stoici rationem & naturam
 idem esse docent, quod aliam Palæstram antè ostendimus. Jam verò
 actiones tales sunt unicè mediæ, seu in mediocritate constitu-
 tæ: & illæ sunt, quibus comparatur virtus, id quod ex manife-
 stioribus enotescit: sic immoderatae & pauciores æquo exer-
 citationes diminuunt ac corrumpunt vires. Item potulenta
 & esculenta aut copiosiora aut pauciora valetudinem cor-
 rumpunt; at verò moderata efficiunt, augent & conservant.
 Idem censendum de actionibus, actiones in extremis, nempe
 vel in excessu, vel in defectu, constitutæ, virtutem moralem
 corrumpunt; at verò in mediò constitutæ, virtutem indu-
 cunt, augent & conservant: quod rursus inductione virtu-
 tum moralium evidens est, ut temperantiæ & fortitudinis:
 sic omnia timendo & fugiendo, & nihil sustinendo corrup-
 pitur fortitudo, & fit ignavia; contra nihil omninò timen-
 do, sed omnia audendo rursus fortitudo corrumpitur, & fit
 audacia: Ita etiam omni voluptate fruendo, à nullâ abstinendo,
 corrumpitur temperantia & fit intemperantia; contra
 omnes voluptates fugiendo iterum corrumpitur tem-
 perantia, & inducitur stupiditas. At per mediocritatem vir-
 tutes illæ generantur, augentur, conservantur.

§. 13. Cum jam virtutes morales per bonas actiones
 acquirantur, augeantur, conserventur, necesse est, ut actiones
 quoque bonæ maximè ex virtutibus proficiantur, nam per qua-
 les

les operationes habitus aliquis acquiritur, tales maximè quoq; ab eodem proficiscuntur: quod inductione Philosophus sic probat: *ut enim vires corporis ex eo nascuntur, quòd quis multum cibum capiat, multosq; labores excipiat ac perferat: sic utrumq; maximè potest prestare, qui viribus corporis pollet.* Idem occurrit in virtutibus, quod ibidem rursus docet: *Nam ex eo, quod abstinemus à voluptatibus, reddimur temperantes, & temperantes effecti, maximè possumus abstinere ab ipsis. Similiter etiam in fortitudine. Adversantes enim contemnere terribilia, & ipsa sustinere, efficitur fortes, & effecti, maximè possumus terribilia sustinere.* lib. 2. Ethic. c. 2. §. 17, 18 & 19. Ex quibus rursus colligi potest, quòd actiones, quibus virtutes generentur, sint oportet mediæ, quia tales à virtutibus proficiscuntur.

Soli DEO Gloria!

Additamenta.

I.

NUm Summum Bonum, hominis proprium, commodè dicatur activum, dubitari potest. Enim verò certum est, actionem esse genus Summi Boni, quod nec obscure indicat Philosophus, dum definit, Summum Bonum esse *actionem secundum virtutem perfectam in vitâ perfectâ* l. 1. Ethic. c. 6. Jam verò si actio est genus summi boni, quod

esse non dubitemus, non poterit denominativè dici de Summo bono, prout dicitur, quando illud agnominatur activum. Quippe à nullo genere fit attributio de specie denominativè, quia species generum suorum nomen & definitionem suscipiunt l. 2. Top. c. 2. § 1.

2.

Neq; immeritò dubitatur, num illud bonum contemplativum, quod in homine dari potest, sit idem specie cum illo, quod in Deo datur. Negativa sententia de hóc negotio nostro iudicio magis probatur: nam boni contemplativi, quod in homine est, contrarium est ignorantia; boni verò contēplativi, quod in Deo est, cōtrariū neq; est ignorantia, neq; ullum aliud: quippe si ignorantia ejusdē contrarium esset, posset eadem in Deum cadere, quia contraria circa idem sunt. At hoc dicere, ablonū & iniquum est. Jam verò illa, quæ non habent idem contrarium, aut quorum unum habet contrarium, alterum non, non sunt unum idemq; specie. l. 1. Top. c. 14.

☉(O)☉


Lp 329
8

1000

200







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DECIMA
REMA-
ICORUM,

m de Virtute

ultu,

Ordinis Philosophici,

REGIOMONTANA,

ident,

S

GIUS à Göttingen/

philosoph. D,

ENS

S Meyl

rusl.

horisq; consuetis

673.

ONTI,

REUSNERI.